

Jakob Carmon


**Programma, Qvo Rector Academiae Rostochiensis, Jacobus Carmon, Phil. & U. J. D. ... In S. Hoc Pentecostes Festo, De Missione Spiritus Sancti disserit, atque ad illud pie celebrandum Cives Academicos ... hortatur**

Rostochii: Typis Joh. Jacob. Adleri, [1734?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004017995>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1734. Pfingsten.

~~M 1256. 228.~~

1734

PROGRAMMA,  
 QVO  
 RECTOR  
 ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,  
 JACOBUS CARMON,  
 Phil. & U. J. D. Pandect. Prof. Publ. FCtis  
 Jurid. hod. Decan. ejusdemque ac Colleg. Ducal.  
 Profess. Senior, Ducal. Consistorii Consiliar.  
 & p. t Director,  
 IN S. HOC PENTECOSTES  
 FESTO,  
 DE  
 MISSIONE  
 SPIRITUS SANCTI



differit,  
 atque  
 ad illud pie celebrandum  
 O. O. CIVES ACADEMICOS  
 HONORATISSIMOS,  
 pro officii ratione,  
 hortatur.

---

ROSTOCHII,  
 Typis JOH. JACOB ADLERI, SERENISS. PRINCIPIS  
 & ACAD. Typographi.

M. 1256 228



\* \* \* \* \*

N præfente hoc S. S. Pentecostes Fefsto, quod Ecclesia celebrat, de Spiritu S. cujus in honorem id institutum & introductum noftis, ad Vos, CIVES ACADEMICI O. O. HONORATISSIMI! more solito, verba memet facturo, non equidem incumbens mihi laborum, tam publicorum, quam privatorum, moles prolixas de materia futuri sermonis eligenda deliberationes patitur, nec elegantix verborum studium permittet; minimè tamen officio, quod hodie gero, Rectorali deesse me posse, persuasus non modò sum, sed convictus planè certissimusque. Quamobrem talem Vobiscum sum discursum communicaturus, qui & in summam ac æternam Sanctificatoris nostri DEitatem, contra eandem impio, quantum valent, conatu impugnantès, defendendam tendat, & nostrum omnium in fide pariter ac vità respiciat ædificationem. Age proinde, de *Missione Spiritus S.* sicuti Fefstum hoc, quo super Apostolos eum missum *Afor. II. 1--5.* legimus, occasionem dat, quantum temporis ratio chartæque spatium concedent, nonnulla commentari. Vestrisque subternere sacris meditationibus in animum induxi.

Spiritum S. tertiam S. S. Triados personam, at eundem numero cum Patre Filioque, & unicum illum æternum, verum ac summum DEum esse, vel pueris inter nos ignotum non est, cum manifestò id, alia ut argumenta nunc taceam, edoceamur, *Matth. XXXIIX. 19. 1. Job. V. 7.* Neque verò DEitati illius derogat, aut eandem evertit, de quâ hîc loquimur, ipsius missio, siquidem aliàs & Filii DEitatem negari oporteret, utpote quem etiam à Patre missum, ex *Job. III. 16. Rom. IIX. 3. Gal. IV. 4.* novimus. Sed, quoniam ex reliquis de missione hac dicendis id sole clariùs elucescet,

non

non est, ut quasi per anticipationem de eo hic loci prolixius differamus, proposito nostro magè congruum arbitrati, si sine morâ statim in principium istius missionis inquiratur. Filium à Patre solo missum esse, constat: ast missionis Spiritus S. principium & Pater & Filius sunt. A Patre illum mitti, testatur ipsemet Christus *Joh. XIV. 26.* quod & Paulus indicat *Gal. IV. 6.* scribendo: *DEus emisit Spiritum Filii sui in corda vestra.* Et Filium itidem eum mittere, videre est *Joh. XV. 26.* quemadmodum & jam in cœlum mox ascensurus missionem Spiritus Apostolis promittebat, *Luc. XXIV. 49.* eumque, ceu à se mittendum, Hierosolymis expectare jubebat, *Act. I. 4.* Per promissum Patris enim, ut eum hic vocat, Spiritum Sanctum, non autem quidvis aliud, intelligendum esse, ex v. 8. intelligi potest. Neque tamen ex eo colligendum est, Patrem & Filium duo diversa missionis Spiritus Sancti principia esse, sive coordinata eadem concipiantur, sive subordinata, quin unum duntaxat ejus principium sint, & unus utriusque ac idem numero mittendi actus. Omnia quippe sunt in divinis communia, in quibus non intervenit relativa personarum oppositio atque distinctio, juxta regulam in Theologia non minùs receptam, quam in ipsâ re pariter atque Scriptura fundatam. Ita quippe Salvator *Joh. XVI. 15.* pronunciat: *Omnia quaecunque Pater habet, mea sunt.* Similiter & *Cap. XVII. 10.* *Omnia mea, inquit, tua (Pater!) sunt, & tua mea.* Scilicet, in quibus Pater & Filius, tanquam duæ personæ quâ tales non distinguuntur, nec sibi invicem opponuntur relativè. Sed in missione Spiritus S. nulla datur relativa Patris Filiique oppositio, cum per illam nec iste Pater, nec hic Filius sit: quapropter eam utrique communem oportet esse, ut ambo unum illius principium sint agnoscendi. Quoad missionis originem autem, ut ita dicam, & fundamentum, nullum aliud, integrum S. Literarum codicem evolventes, invenimus, præterquam processionem Spiritus S. à Patre Filioque. Ecce enim Pater, nunquam ab alia personâ mitti dicitur? nisi quod ipse, ceu fons Trinitatis S. S. velut nonnullis appellari suevit, simpliciter ἀγίνωστος est, essentiam à nullâ aliâ personâ

personâ habens, sed â seipso existens. Filius autem â Patre  
 missus est, & eo quidem solo, non â Spiritu S. quia non  
 ab hoc, sed illo solo per æternam procedit generationem.  
 Inde nec aliam, cur itaque Spiritus S. non â Patre solùm,  
 sed etiam â Filio mittatur, reperire rationem dabitur, quam  
 quod is ab æterno â Patre Filioque procedit. Qua igitur in  
 inductione fundatur in Theologorum Scholis usitatus canon:  
*Principium missionis in tempore, est etiam principium processions ab  
 æterno.* Ex quo sicuti rectè satisque solidè, contra Græcos,  
 eam negantes, spiratio sive processio Spiritus Sancti â Filio  
 unà cum Patre demonstratur; ita frustra se dant, præter Anti-  
 Trinitarios nonnullos, Fanatici, ex hac missione subordinatio-  
 nem quandam personarum divinarum, atque Spiritum S. reli-  
 quis inferiorem esse, concludentes. Non enim missio hæc per  
 imperium fit, quomodo superior mittit inferiorem sibi  
 subjectum; sed per processionem solum, quæ nec unitatem  
 essentiæ divinæ, nec æqualitatem personarum tollit. Nam  
 Filius, in carnem licet â Patre missus homoque factus, *Gal.*  
*IV. 4.* omnia tamen, quæcunque Pater habet, sua esse dicit,  
*Job. XVI. 15.* atque se & Patrem unum, (non, *éva*, sed, *év*,)  
 esse, *Job. X. 30.* â quo proinde, propter identitatem essentiæ  
 numericam, 1. *Job. V. 7.* ad Spiritum S. omninò concluden-  
 dum est. Hi tres etenim unum sunt.

Quantum ad missionis hujus modum attinet, respectu Pa-  
 tris & Filii mittentis pariter ac ipsius missi Spiritus quidem,  
 incognitus ille nobis & inexplicabilis est, dum missio perso-  
 narum divinarum haud minùs, ac ipsa earundem, unius ab  
 alterâ, processio, magnum est mysterium. Respectu vero  
 termini ad quem distingui solet in *visibilem*, quando Spiritus  
 S. per œconomiam singularem, aliquam, in quâ apparuit,  
 in oculos incurrentem speciem assumfit, quemadmodum  
 eam bina vice, in Baptismo Christi, *Matth. III. 16.* & in pri-  
 ma Novi Testamenti Pentecoste, *Act. II. 3. 4.* factam legi-  
 mus; & *invisibilem*, quomodo hodiè mittitur in corda nostra.  
 Quæ verò missio non fit immediatè, sed, *August. Confess. Art. V.*  
*dicente, per Verbum & Sacramenta, tanquam per instrumenta, do-*  
natur

natur Spiritus S. quicquid in contrarium garriant omnis Fanaticorum cohors, & quicumque præterea hisce divinitus ordinatis mediis omnem virtutem & efficaciam divinam spirituales in hominibus effectus operandi denegant detrahuntve. Quicquid enim effectuum spiritualium in nobis Spiritus S. producit, non ad fidem solum, sed etiam ad vitam in æternam spectans, id omne Verbo & Sacramentis, tanquam organis, per quæ efficaciter ille operatur, in S. Literis tribui, nemini Scripturam cum attentione legenti potest ignotum esse, ut prolixa non egeat probatione. Conferat, qui velit, loca *Job III. 5. Rom. I. 16. VI. 3. 4. X. 8. 9. 17. 2. Cor. III. 9. V. 18. Gal. III. 27. Eph. V. 26. 27. Tit. III. 5. 1. Petr. I. 2. Jac. I. 18.* Ex quibus intelligitur, in hac Spiritus S. missione, vel si mavis (missionis namque vocabulum, quoniam illa proprie loquendo per processionem fit, commode heic usurpari non posse, videtur) donatione etiam Ministerio tuas esse partes; Non quod sua virtute vel potestate Spiritum S. Ministri conferre queant, quod Paulus diserte negat, *1. Cor. III. 5. 6. 7.* sed quatenus illa, per quæ donatur ipse, media hominibus applicant, ex quo non solum æconomi seu dispensatores mysteriorum DEI, *1. Cor. IV. 1.* sed & συνεργός, cooperari DEI, *1. Cor. III. 9.* proindeque homines, ceu patres eorum spirituales, regenerare, *1. Cor. IV. 15. Gal. IV. 19. Philem. 10.* dicuntur.

Quodsi jam porro quærat: ad quosnam autem DEus Spiritum S. mittat? nullum nobis reliquum dubium est, quin eundem ad omnes in universum homines mittere velit, dum omnes vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis, venire, *1. Tim. II. 4.* non volens ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam concedere, *2. Pet. III. 9.* Quod omne verò cum sine Spiritu S. non fiat, ultrò consequitur, DEum omnibus eum mittere ac dare velle. Veruntamen non omnes missum eum admittunt, aut in cordibus suis habitationem illi concedunt, quin eum abigant potius à se vitæ pravitate, atque peccatis proæreticis repellant, ad quos propterea non divertit. Actu igitur missionis hujus participes tantum fiunt fideles, in corda sua Spiritum S. recipientes. Id indicat ipse Salvator



in Evangelio hodierno, *Job. XIV. 23.* Ubi licet Pater & Filius tantummodò nominentur, haudquaquam tamen per illud ab inhabitatione hac mystica Spiritus S. excluditur, quem propter essentiae cum Patre Filioque numericam identitatem corda fidelium etiam inhabitare, constat ex *I. Cor. III. 16. VI. 19.* & Paulus *Gal. IV. 6.* scribit: *Quia estis filii, emisit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem, Abba, Pater!*

De fine missionis Spiritus Sancti peculiariter dicere, jam nunc opus vix esse videtur, cum constare facile queat, eum mitti ad sanctificationis opus in hominibus peragendum, ut à quo ipsi appropriato singulari ratione Sanctus dicitur Spiritus, & Spiritus Sanctitatis, *Rom. I. 4.* Opus autem sanctificationis cum dico, latè id ipsum intelligo, prouti cuncta, quæ vei antecedenter, vel concomitanter, aut consequenter ad illud se habent, adeoque præter illuminationem, regenerationem, quæ fidei donatio est, justificationem, unionem cum Christo mysticam, renovationem, totumque bonorum operum exercitium, adeoque omnem in universum vitam spiritualem, unà importat, quin ipsam tandem etiam beatitudinem fidelium atque salutis æternæ hereditatem comprehendit. Sic quippe finem missionis Spiritus S. ad nos Apostolus *Tit. III. 4. 5. 6. 7.* nos edocet, scribendo: *Quando benignitas & amor hominum apparuit Servatoris nostri DEI, non ex operibus, quæ in iustitia, quæ fecimus nos, sed juxta suam misericordiam salvavit nos per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S. quem effudit super nos opulenter per Jesum Christum, Servatorem nostrum, ut iustificati ipsius gratia heredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Quæ cum aperta satis non solummodò fiat, sed etiam sufficientia, plura nunc ulterius addere, supervacaneum foret.

Hæc autem, de qua hæctenus, missio Spiritus S. cum operibus, ad quæ in nobis perficienda mittitur, in clara solis luce ponit, Eum non virtutem duntaxat, aut operationem divinam, prout Sociniani; nec effluxum quendam essentiae divinæ, quemadmodum Fanatici contendunt; sed tertiam S. S. ac ineffabilis Trinitatis personam esse. Quod argumentum ejus est evidentiae atque virtutis, ut eo convictus, præfractus

fractus ceteroquin & pertinax Anti-Trinitarius, **CHRISTOPH. SANDIUS** *Probl. Parad. de Spir. S. annon per illum Sanctior. Angelor. genus intelligi possit?* mox ab initio confessus id ipsum fuerit, scribendo: *Neque enim poteram à me impetrare ut crederem, non esse personam eum, in cuius nomen, non secus ac in nomen Patris & Filii baptizaremur: qui descendit, venit, mittitur, &c.* Quanquam, ut ne Spiritum S. personam divinam, seu ὁμοσίον & eisdem numero essentiae cum Patre Filioque summum & æternum DEum esse, concederet, ad illam, quam allegatus libelli titulus indicat, absurditatem confugere maluit, pro ea tuendâ, missione Spiritus Sancti, ex quâ subsistentiam illius personalem haud ineptè demonstraverat, abusus. Etenim, quia nomen Angeli, si vim etymii respicias, missum, legatum, nuncium significat, & verò Spiritus S. mittitur, hinc, non quidem, cum Joh. Bidello, pro uno tantùm angelico individuo eum venditare voluit, sed totum sanctorum Angelorum chorum per Spiritum S. denotari, probare annisus est. Hac nimirum intentione *S. XIII. p. 41.* concludit: *Job 16, 7. 13. 14. 15. Christus dicit: Ego mittam vobis eum (scil. Paraclitum) qui non à seipso loquetur, sed quæcunque audierit, loquetur, & de meo accipiet & annuntiabit (ἀναγγελεῖ) vobis & futura vobis annuntiabit (ἀναγγελεῖ.) Ergo Spiritus S. officium est esse legatum, nuncium vel angelum.* At verò, novisse eum oportuisset, Angeli vocabulum alibi quidem officii, alibi verò naturæ nomen esse. Sic *Ebr. I. 14.* exprimitur angelica natura, cum spiritus dicuntur, & in aliis locis, quando & à DEO, & ab hominibus Angeli distinguuntur, naturæ habendum est nomen. Verùm, quis ignorat, Filium DEI quoque, tam ante incarnationem, quam incarnatione factâ, passim Scripturarum Angelum vocari? Num autem & ille creatus quidam spiritus est? Et quid de Ministris Ecclesiæ dicendum? quos, constat, Spiritum S. angelorum nomine non semel, sed iterum atque sæpius in S. Codice dignari, e.g. *Marc. I 2 3. 4. Apoc. II. 1. 8. 12.* alibique. Sed placet, etiam SCHOMERI, luminis olim, Aca-  
 demix nostræ, *Affert. Endox. Fid. Christi de Spir. S. Cap. V p 190.* Sandio oppositam responsionem afferre, quando: *Ad ejusmo-*

di

di etiam, scribit, collationem, quæ prædicata, quæ Spiritui S. & Angelis, velut com numia, tributa deprehendimus, conferruntur, refero, quo l observat paradoxus §. 13. Spiritum S. Job. XVI. 7. 13. 14 15. mitti Ἐ ἀναγγέλλειν annunciare quæ audivit; quod idem esse sanctorum Angelorum officium ex ipso nomine docuerat §. 2. Hic si putat ἀναγγέλλειν ita proprium esse Angelorum officium, ut cuicumque id competit, Angelus sit; quid fiet de Messia, qui Ἐ ipse erat ἀναγγέλλων annunciaturus omnia Job. VI. 25 Ἐ ἀπαγγελλῶν Matth. XII. 18. ? quid de Mose, qui ἀναγγέλλειν debebas Filiis Israël Exod. XIX. 3 quid de Prophetis Ἐ rectè sentientibus in istâ gente, quos idem facere jubet Jer. 9 12. an isti omnes etiam fuerunt naturâ Angeli, quod ad tale officium missi erant? imò DEUS etiam ἀναγγέλλει Ef. 48. 3. Ἐ προκαταγγέλλει Act. 3. 18. Tam frivolum igitur est, nulliusque momenti, quod Sandius hîc urget dubium & argumentum. Sed in istum faciemus eum, una cum Fanaticis, ex hac ejus missione subordinationem quandam Spiritus S. concludentibus, quia nec tempus, nec chartæ spatium plura permittunt.

Ad vos igitur, *Cives Honoratissimi!* me jam ultimò converto. Percepistis, quem in finem DEUS, quæ clementia illius est & immensa Philanthropia, Spiritus Sancti nos ad nos missione dignetur. In salutem ea nostram, tam in regno gratiæ, quam gloriæ obtinendam tendit. Inde quid nostri sit erga eum officii, vel me tacente, intelligetur. De quo cum plenius hodie nos instructuri sint Verbi divini Præcones, mihi nihil ulterius addere superest, quem ut Vos, qua par est, humanitate moneam, rogemque, agatis seriò sollicitèque, ne Vos tantorum bonorum, tantæ salutis exfortes efficiatis ipsi. Meditemini diligenter monitum Apostoli *Eph. IV. 30. 31.* ejusdemque Vos, Spiritus S. ductu, studiosos ac observantes esse, factis vestris totâque vivendi ratione contestemini.

Valete!

*P. P. sub Sigillo Rectoratus Academici.*

Fer. I. Pentecostes d. XIII. Junii

ANNO MDCCXXXIV.







fractus ceteroquin & pertinax Anti-Trinitaritis, CH  
SANDIUS *Probl. Parad. de Spir. S. annon per illum Sancto*  
*genus intelligi possit? mox ab initio confessus id ipso*  
*scribendo: Neque enim poteram à me impetrare ut crea*  
*esse personam eum, in cuius nomen, non secus ac in nomen*  
*Filii baptizaremur: qui descendit, venit, mittitur, &c. Qu*  
ut ne Spiritum S. personam divinam, seu *ὁμοούσιον*  
dem numero essentiae cum Patre Filioque summum  
num DEum esse, concederet, ad illam, quam alle  
belli titulus indicat, absurditatem confugere malui  
tuendâ, missione Spiritus Sancti, ex quâ subsistenti  
personalem haud ineptè demonstraverat, abusus.  
quia nomen Angeli, si vim etym. respicias, missum,  
nuncium significat, & verò Spiritus S. mittitur, hinc,  
dem, cum Joh. Bidello, pro uno tantùm angelico i  
eum venditare voluit, sed totum sanctorum Angelor  
rum per Spiritum S. denotari, probare annisus est.  
mirum intentione §. XIII. p. 41. concludit: *Job 16,*  
*15. Christus dicit: Ego mittam vobis eum (scil. Paracletum)*  
*non à seipso loquetur, sed quæcunque audierit, locu*  
*de meo accipiet & annuntiabit (ἀναγγελεῖ) vobis & f*  
*bis annuntiabit (ἀναγγελεῖ.) Ergo Spiritus S. officium*  
*gatum, nuncium vel angelum. At verò, novisse eum op*  
Angeli vocabulum alibi quidem officii, alibi verò n  
men esse. Sic *Ebr. I. 14.* exprimitur angelica natura,  
ritus dicuntur, & in aliis locis, quando & à DEO, & ab h  
Angeli distinguuntur, naturæ habendum est nomen.  
quis ignorat, Filium DEI quoque, tam ante incarn  
quam incarnatione factâ, passim Scripturarum Ang  
cari? Num autem & ille creatus quidam Spiritus  
quid de Ministris Ecclesiæ dicendum? quos, conf  
tum S. angelorum nomine non semel, sed iterum  
pius in S. Codice dignari, e.g. *Marc. I 2 3. 4. Apoc. I*  
alibique. Sed placet, etiam SCHOMERI, luminis c  
demixtæ nostræ, *Affer. Endox. Fid. Christi de Spir. S. Cap.*  
Sandio oppositam responsionem afferre, quando:

